

vitiatae conformationis, & secundum viam, & secundum
 meatum. Ratione meatus, oritur morbus, qui Diapedesis di-
 citur, ubi scilicet tunicae vasorum rarefiunt, & sanguis resudat.
 Ratione viarum, oritur morbus, qui Anastomosis appella-
 tur, ubi orificia vasorum aperiuntur, hos namque morbos
 pertinere ad malam compositionem, scribitur à Gal. libr. de
 differ. morb. At morbus in soluta unitate, vocatur DIÆRESIS
 seu Divisio, quæ triplex: Incisio, Ruptio & Abrasio; hæc Græci
 Διαβρωσις dicunt. Quod autem tot sint affectus læ-
 dentes facultatem retentricem, patet, quoniam tot
 sunt status naturales vasorum, dum sanguinem continent.
 Tunc enim sunt densa, habent ora clausa, ac integra exi-
 stunt. Ergo si sanguinem non retinent, p. n. sunt affecta,
 vel quia rarefiunt, ora reserantur, aut tandem scinduntur.
 Objectum impropportionatum, cujus ratione, actio facultat.
 retentricis frustratur, omnes succos vitiosos fieri posse,
 tam ex parte causarum internarum, quam externarum, satis
 constat.

CAUSÆ MEDIATÆ quæ morbos jam prædictos
 introducere, & hemorrhagiam excitare possunt, sunt vel
 internæ, vel externæ. INTERNÆ I. ANASTOMOSIS, quæ fit
 Primò, à sanguinis copia, & qualitate acri, exitum sibi per
 canalium extrema parantis. Secundò, motus impetuosus
 expultricis, nam à copia & qualitate expultrix irritata, eo
 impetu interdum expellit, ut oscula vasorum necessariò re-
 cludantur. Tertiò, est facultatis retentricis imbecillitas, ut
 etiam vasa, modicam sanguinis copiã non retineant. Quar-
 tò, est vasorum ἀρομία, sive imbecillitas & mollities.
 Quintò, fit à naturâ criticè ac utiliter expellente id, à quo
 molestiam sentit, quod in febribus & morbis nonnunquam
 acutis, accidere solet. II. DIAPÉDESIS, fit ab intemperie cali-
 da & humida, propter quam rarefiunt tunicae vasorum, sed
 præter intemperiem dictam, tenuitas etiam conducit: san-
 guis enim tenuis & aquosus, roris instar transudat. III. DI-
 ÆRESIS, quoad Incisionem & Abrasionem, accidit ab humo-
 rib. mordaci, tenui, & molli qualitate præditis, qui eroden-